

dicta scripturae: „Ego sum vitis, vos palmites“,¹⁸⁷ „Nemo carnem suam odio habet, sed eam nutrit et seruat“,¹⁸⁸ sic et dominus ecclesiam: „Caro mea vere est cibus“,¹⁸⁹ „Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.“¹⁹⁰ Item: „Veniemus ad eum et mansionem apud eum faciemus.“¹⁹¹ Interea tamen expresse docet vox diuina nullam confirmari substantiarum Dei et hominis commixtionem vel coniunctionem physicam sicut nec ipsa beneficia physica sunt vel physicae actiones. In Christo habitat diuinitas σωματικῶς, in aliis omnibus effectiue. Et de natura humana Christi dicitur: „Relinquo mundum et vado ad Patrem“,¹⁹² item: „Christus sursum est“¹⁹³ et firmissime teneatur haec propositio: Eadem ratione Christus habitat in [61:] Abraham et in Paulo. Reiecta ista communicatione physica naturae humanae infero verum vel essentiale corpus esse rem coelestem, eam rem signatam, quae vna cum symbolis homini exhibetur. Sed res coelestis, res signata est illa κοινωνία, illa societas, quae contrahitur inter pios et corpus Christi tanquam inter caput et membra. Iam si illa substancialis praesentia veri corporis desinit, manifestum est, quod pars aduersa constituit praesentiam inutilem homini et ita alienam a natura sacramenti atque quod ipsis Christus vere adest tantum propter panem non vero propter hominem.¹⁹⁴

Ostendant, aio, quis sit vsus illius veri corporis, quod adest cum pane. Si concionabuntur de efficacia, sciant illa a nostris tradi explicatus et dulcius atque ita nos fateri omnia, sed quaerimus, quid noui aut quid singulare afferrat illa praesentia. Hic quidem plurimi obmutescunt, nonnulli vero dicunt Deo ordinanti obtemperandum esse nec semper quaerendam causam. Hi sciant valde incircumspecte hoc dici. Nam cum ministerium et omnes partes ministerij propter hominem instituta sint, certe vult Deus vsum illius ordinationis homini esse notum. Sapientia euangelij arcana est, nec in hac vita exauriri potest, sed ministerij vsus, quod tantum propter infirmitatem huius vitae institutum et desitrum est in nouo regno colesti, notissimus debet esse piis. Sed alij rursus excipiunt hanc praesentiam vtilem esse ad excitandam fidem et acuendam reuerentiam in sumentibus. Respondeo: Deus, vt mederetur humanae infirmitati, instituit externa signa, quae essent testimonia sua voluntatis erga nos, vt igitur in actione baptismi admoniti illo externo spectaculo cogitare debemus sicut in baptismo Christi ita in nostro etiam vere esse apertos coelos et nos in gremium ecclesiae recipi, ita in sacra coena visibilia signa debent nobis esse pignoris et testimonij loco de societate, quae

¹⁸⁷ Joh 15,5.

¹⁸⁸ Eph 5,29.

¹⁸⁹ Joh 6,55.

¹⁹⁰ Act 2,17.

¹⁹¹ Joh 14,23.

¹⁹² Joh 16,28.

¹⁹³ Kol 3,1.

¹⁹⁴ Vgl. Philipp Melanchthon, *Iudicium de coena Domini* (1560), in: CR 9, 962 (MWA 6, 485, 12–15).